

Vh
181





AM. 228 16.

Vh
181

QVAESTIO
PVBLICE NVPER POSITA
SOLVTA

*Quid causae sit, quod hac aetate nostra non tot Iu-
nes bene praeparati, literisque tam probe instructi in
Academijs, ut olim, veniant? in specie e scholis
provincial. Saxon.
ubi semel plura ad huiusmodi scholar provincial. Saxonicae. occurrunt.*

PROLVSIO
DECLAMATIONIBVS IV.

IN
ILLVSTRI SCHOLA GRIMANA
A. D. XIV. SEPTEMBR.
IPSO DIE SCHOLAE NOSTRAE NATALI

HOR. IX. HABENDIS

PRAEMISSA

A

IOANNE TOBIA KREBSIO

RECTORE.



LIPSIÆ
EXCVDEBAT FRID. GOTTH. IACOBER ET FIL.
MDCCLXXIX.

h. 228.

cat. 473.



CLASSICO
PUBBLIO MARELLI
SOLITA
DIPLOMA
IN
LETTERE
E
SCIENZE
MAGISTRO
GIOVANNI
MARELLI
DIPLOMA
IN
LETTERE
E
SCIENZE





Ante sex, et quod excurrit, annos cum renovata Constitutio scholastica, auspiciis et auctoritate Serenissimi, Sapientissimique Patris patriae nostrae facta, prodisset, quae diu in votis, et expectatione multorum fuerat: dulcissima, atque ea certissima spes omnes bonos, reiue scholasticae bene constitutae amantes, tenebat, fore, ut Scholae in Saxonia nostra in meliorem conditionem redactae laetiori, feliciorique in posterum uterentur fortuna, atque adeo iusta multorum bonorum desideria lenirentur. Et erat sane, quare omnes boni hac spe abblaudiente laetiores, uberiorisque institutionis, disciplinaeque scholasticae fructus expectarent. Nam haec Constitutio, cum aliis, tum tribus Scholis provincialibus imprimis scripta, et a Viro hujus rei peritissimo, multosque annos in innumeris, atque iis variis ingeniis tractandis versato, facta, temporum nostrorum rationi accommodatissima est, et docentibus aequae, ac discipulis eam viam, rationemque ostendit, qua nihil sapientius, praestantiusque fingi, et cogitari possit, adeo, ut in ea nihil desiderare possis, quod ad ejus perfectionem facere videatur. Et tamen quotidiana fere, atque ea tristis, experientia ab eo inde tempore docuit, et etiamnum docet, parum, vel nihil utilitatis ex hac praestantissima Constitutione scholastica ad rem literariam redundasse. Non temere igitur, aut inepte quaestio in quadam *) scida Lipsica publice

A 2

nuper

*) In dem Leipziger Intelligenz-Blatte No. 20. Ao. 1777. „Warum nicht mehr so viele zubereitete Leute auf die Universitäten ziehen, als vorher?“

nuper posita, censenda est, *Quid causae sit, quod hac aetate nostra non tot Juvenes bene praeparati, literisque tam probe instructi in Academia, ut olim, veniant.* Quemadmodum autem haec quaestio digna visa est, quae publice poneretur: ita non minus digna videtur, quae solvatur. Neque enim existimandum est, causam horum fructuum, non temere expectandorum, hucusque autem interceptorum, in hac Constitutione Scholastica ipsa, aut in Doctorum, qui in Scholis provincialibus (harum enim in tota hac Prolusione inprimis rationem habebimus) juventuti instituentiae, formandaeque tempus et studium impendunt, ignorantia, desidia, laborisque fuga residere, sed longe aliis rebus esse imputandam, censendum est. Quae quales sint; hoc tempore, quo dies Natalis Illustris Moldani nostri, ante hos CCXXIX annos divinis auspiciis aperti, et constituti, Deique Optimi Maximi clementia, tutelaque paterna etiamnum florentis, grata, piaque mente celebranda instat, doceamus, et fontes, unde haec fundi nostri scholastici calamitas promanet, aperiamus. Et quamquam longe absim, ut dubitem, quin haec quaestio ab aliis jam soluta fuerit: tamen cum nihil ejusmodi in manus meas, notitiamque venerit; operae pretium duxi, hanc Prolusionem ei solvendae impendere. In quo quidem Lectores eo majorem fidem nobis habituros confidimus, quo diutius in palaestra scholastica, et in multis, variisque ingentibus per hos XXXIII. annos tractandis sumus versati, atque adeo non aliorum sermonibus, saepe dubiis illis, et fallacibus certiores facti, sed ipso rerum usu diuturno, et longa observatione haud incuriosa edocti de hac re exponemus. Neque vero haec omnia disputabimus eo consilio, ut vana spe capti, sive potius decepti nobis ipsi persuadeamus, nos hujus Prolusionis ope effecturos esse hoc, ut isti morbi quodammodo epidemici, qui juventutem, literis colendis consecratam, ab aliquo inde tempore corripuerunt, quique in dies latius serpere, et ingravescere videntur, sensim, sensimque sanati tollantur, cum vix fieri posse videatur, ut, causis remotis, pestiferi istorum malorum fontes obstruantur: sed ut hac Prolusione animum fidelis, et de flore atque salute cum aliarum, tum trium scholarum Provincialium, et nostrae inprimis perquam solliciti et curiosi doctoris testatum faciamus, et, si re ipsa, quod cupiamus et optemus, efficere non possumus, voluntatem saltem nostram, de re scholastica, omninoque bonis literis bene merendi, veluti monumento aliquo publico consignatam, relinquamus.

Omnino

Omnino in institutis Saxoniae nostrae praestantissimis, iisque et Ecclesiae, et toti Reipublicae saluberrimis et fructuosissimis ponendum est sapientissimum illud, nec verbis satis unquam praedicandum, consilium, immortalis illi MAVRITIO divinitus immissum, quo tres Scholas Provinciales, quae jure Ecclesiae, Reipublicae, et Academiae inprimis *Seminaria* dici possunt, aperuit, apertas sapientissimis legibus constituit, constitutasque redditibus dotatas fulsit atque sustentavit. Neque vero illud studium earum fovendarum et tuendarum, post mortem MAVRITII refrigeratum deseruit, aut sopitum extinctum est, sed potius in Electoribus, qui eum in imperio exceperunt, magis, magisque inflammatum ita animadversum est, ut ad eorum florem, durationemque perennem nullis sumptibus, quamvis magnis, parcendum sibi arbitrentur. Tantaecuriae, cordique has tres Scholas Provinciales sibi esse ostenderunt! Tantaecutilitatis, necessitatisque eas existimaverunt! Et CHRISTIANVS quidem II. Elector, in Praefatione ad confirmatam Constitutionem scholasticam disertis verbis declarat, quam caras eas habeat, quam fructuosas Ecclesiae, totiusque Saxoniae saluti, atque adeo omni ratione tuendas, sustentandasque ducat, hac oratione usus: *) *Tribus Scholis Provincialibus*, a D. MAVRITIO apertis, *Deum O. M. tam clementer adspirasse, ut experientia testetur, non solum omnes fere verbi divini Ministros, et Scholarum Magistros, in his tribus Scholis educatos et institutos, sed etiam viros omnis ordinis perquam praeclaros ex iis produsse. Ideo hoc divinum, idque saluberrimum institutum, CIMELIVM quoddam, et THESAURVM ditionis Saxoniae merito factum, testiumque perpetuo conservandum arbitramur.* Quid? quod GEORGIUS I. hanc scholam nostram Provinciale *pretiosum, et vix satis aestimandum CIMELIVM* vocat, in quodam Edicto, (*Rescriptum* vocant) ad Senatum Grimensem a. d. vi. Martii An. 1643.

A 3

misso,

*) *Diese christliche und hochblöbliche Anordnung (des weyland hochgebohrnen Fürsten, Herrn Moritz) hat der gnädige und barmherzige Gott also gesegnet, dass die Erfahrung bezeuget, dass nicht allein fast meistens Kirchen- und Schuldiener dieser Lande in diesen dreyen Schulen erzogen, sondern auch fürtreffliche Männer in allerley Ständen daraus gekommen sind. Derowegen wir billig über solchen christl. wohlgeneyten Werk, als über einen besondern Kleinod und Landsehatz, beständig halten.*

missio, in quo *) interdicat, ne hujus Scholae Provincialis doctores in funestissimo illo tricennali bello *ullis tributis imperatis, aut aliis oneribus premantur: sed plane immunes sint. Numquam enim se concessurum, addit, ut ulla causa praebeatur, hujus pretiosi, et vix satis aestimandi CIME LII attentandi, aut penitus tollendi.* Neque vero Electores solum, aliique viri Summi in Saxonia tantum pretium his tribus scholis Provincialibus posuerunt, sed exteri etiam ob praeclaram Constitutionem, et admirabilem, qui ibi obtinet, ordinem mirifice eas praedicarunt atque celebrarunt. Cujus rei testem, gravem sane in hac re, nulliusque cupiditatis suspectum, excitabimus P. BYRMANNVM, cujus in hanc rem verba ex Oratione funebri, in obitum Doctoris sui, I. GEORGII Graevii, τῷ πᾶσι, quo, disciplinae olim alumno suo, Schola Portensis etiamnum jure superbit, habita, non pigeat huc transferre: *Saepe defunctum (GRAEVIVM) narrare audivi, quam egregia cura et disciplina laudabili teneriores ibi (in Schola Portensi) formarentur mentes. Electores enim Saxoniae, discussis falsorum errorum tenebris, ex libidinis latebris ignavissimos ventres, et sola ignorantia turgentes Monachos extraxerant, et coenobia, regis vœdgalibus dotata, in bonae mentis palaestras converterant. Inter ea celeberrimum (Gymnasium) erat, quod ab Udone XI. Naumburgensium Episcopo ad Solam conditum, Porta Mariae vocabatur. Hunc ludum omnibus popularibus communem Sapientissimi Principes, in quem parentes felicioris ingenii pueros sumtu publico erudiendos mitterent, aperuerunt. Nullo sanguinis aut fortunarum discrimine Comitum, Baronum, et civium filii ibi severissima lege proficere jubentur. A quinta hora matutina, sive aestas dierum spatia extendit, sive hiems contrahit, ad solem occidentem continuo labore, et exercitatione, modica modo intermissione data, occupantur. Non crudelis matrum indulgentia, non prava patrum facilitas flexibilem, et proclivem ad ignaviam et otium juventutem corrumpit.* Haec ille Vir doctif-

*) *Es sey sein gnädiger Wille, daß die Präceptores der Landschule, und sämtliche der Schulen Unterthanen bey vorwaltenden Kriegsunruhen Kraft der jüngsten Reichstagschltisse von allen Beschwehrungen eximirt seyn sollten. Denn er würde keinesweges verflatten, daß zu Ruinirung oder Aufhebung dieses so edlen und unendlichen Kleinods auf irgend eine Art Anlaß gegeben würde.*

doctissimus: cujus verba ipsa eo lubentius adducenda putavimus, quo vidiorem institutorum saluberrimorum, quae in tribus Scholis Provincialibus obtinent, imaginem exhibent, non sine animi voluptate conspiciendam. Haec cum ita sint: nulla conjectura assequi possumus, quis tandem Genius nuper hominem aliquem, Juvenem illum quidem adhuc, sed jam *Semi-Venerabilem* agitarit, ut chartas quasdam abbas et immaculatas literis suis inquinatas, veluti virgines compressas, publice prostitueret, in quibus cum in alios Viros bene meritos, tum in tres Scholas Electorales, et in eos inprinis, qui munus docendi in illis obeant, morbi sui maledicendi virus evomere ausus est. Cujus hominis effrenis linguae petulantia, et maledica protervia non tam calamo est coercenda, quam superiorum potestate ultrici castiganda. Nos quidem doctores in tribus Scholis Electoralibus hanc rusticam, eandemque maledicam futilitatem hujus hominis juvenicitati (malum! *juventuti* volebamus scribere) condonandam, remittendamque arbitramur. Bonus iste homo probe memor esse debet notissimi illius Veteranorum Monachorum dicti, quod subinde ironibus suis, qui etiam jam sapere sibi videbantur, injungere solebant: *Noli altum sapere Juvenis, sed time!* Sed missum faciamus istum hominem futilem. Quorsum autem haec omnia? nempe eo, ut intelligatur, quanta sit trium Scholarum Provincialium, si earum instituta spectes, prae aliis praestantia, et quam commoda occasio Alumnis, omni praesertim victus necessarii comparandi cura sollicita solutis, suppeditetur, egregia quaeque discendi. Et sane Alumni harum trium Scholarum in ea societate versantur, formantur et instituuntur, quae virtuti innixa consilii: qui si leges, quas pietas et sapientia Serenissimi Auctoris earum posuit, semper religiose sequerentur: dubium non est, quin subinde ex iis, tanquam pietatis, sapientiae, bonaeque mentis officinis, innumeri essent proditari Juvenes, prae multis aliis insignia officia Ecclesiae, Reique publicae suo tempore praestituri. Hoc certe fuit Serenissimi Electoris MAVRITII in his tribus scholis erigendis consilium, quippe quae perfugium praebeant honestae paupertati, adjunctam sibi habenti forem, Bonam Mentem. Hic, tanquam in Prytaneo aliquo, aluntur et aestimantur Pietas, Diligentia, Frugalitas, Modestia: hinc procul abesse, et arceri jubentur Impietas, Ignavia, Luxuria, Libido, Petulantia, Rusticitas morum. Huc spectat sapientissima, atque ea saluberrima utraque nostra Constitutio scholastica, vetus illa et recentior:

VIII

centior: ad cuius normam et praecepta si omnes ac singuli Alumni et discendi, et vivendi rationem componerent: in dubitationem adduci non potest, eos prae multis aliis literarum studiosis magnam praestantiam habituros; et amplissima munera Ecclesiae et Reipublicae aliquando esse allaturos. Sed causae sunt, hujus aetatis nostrae molliciti, imprimisque disciplinae domesticae unice fere tribuendae, quae egregios illos fructus, ex Renovata Constitutione Scholastica, ex his institutis praeclarissimis certissime sperandos, intercipiunt atque intervertunt, de quibus, praecipuis saltem, jam breviter exponamus. In quo quidem indignatiunculam nostram, justam sane, et ab ipsius rei indignitate expressam, Lectores Humanissimos, facile condonaturos nobis putamus, cum quod alii intriverunt, nobis sit exedendum.

In causis igitur, quae impediunt, quo minus fructus, qui e Renovata Constitutione nostra scholastica, et e saluberrimis trium scholarum Provincialium institutis expectari poterant, et debebant, proveniant, *primam* posuerim *mollem istam, nimis teneram, delicatamque educationem, atque disciplinam domesticam, certissimam illam et animi, et corporis corruptricem.* Experientia quotidiana, optima hujus rei magistra, et suus cujusque sensus internus lenientissime docet, quae opiniones, qui sensus teneris adhuc annis insilientur, et veluti imbibantur, sive boni, sive mali sint, quia diuturna consuetudine in alteram Naturam quodammodo abeunt, succedente tempore agere radices tam altas, ut vix evelli penitus, eradicarique posse videantur. Quodsi quis in rebus, quae quotidie accidunt, animadvertendis non plane oscitans spectator fuerit, et, quae sit educandae juventutis in tenera adhuc aetate ratio in multis familiis, lautioribus imprimis, (de omnibus enim tale quid dicere, impudens, et injuriosum adeo sit) cognoverit, ignorare non poterit, eam ita fere esse comparatam, ut fieri non possit, quin nimis mature vires et animi, et corporis mellitulum liberorum frangantur, et ad omnem laborem paullo duriorem et acerbiolem mature inepti reddantur. Non, opinor, neque a professione nostra, neque a re praesenti alienum fuerit, imaginem quandam hujus educationis domesticae, si non vividis coloribus expressam, primis certe lineis ductis adumbratam hic proponere spectandam. Scilicet non pauci parentes, iniquo et coeco liberorum suorum amore capti, officiique sui in iis educandis male memores, omnibus fere eorum cupiditatibus, quamvis effrenibus et lascivis, gratificari, desideris-

que

que quamvis perniciosis, fletu, clamore, et calcitrando adeo explendis, satisfacere solent. Quodsi pater paullo durior ad haec importuna, et male sana tenellorum puerulorum desideria fuerit (et audivi, tales hinc inde esse) qui non consultum putet, semper et in omnibus esse indulgendum: ecce! blanda et inepte indulgens mater patrocinator, et sollicita lacrymas filioli misericordiam manu abstergit, inquiens, tam tenellae animulae bilem non esse movendam, causamque forte gravioris morbi, quin mortis adeo acerbae praebendam. Quid igitur? Ceditur lubrici, quamvis ineptae, quin perniciosae adeo, tenellorum filiorum: conceditur fletui, clamori, pedumque ictibus, quidquid obstinato animo cupiant extorqueri. Primae voluptatum illecebrae, quarum sensus et gustus teneram istam aetatem tangunt, sunt eae, quae palatum suaviter afficiunt atque titillant. Blandi parentes igitur, ne mellituli filioli haec titillantis suavitate careant, sponte offerunt dulciaria, quae sensum, sensumque dentes nigrescentes, cariosos, foetidos, et adolescentes adhuc saepe dentulos reddunt: filioli, harum rerum gustu et sensu capti, et ad alia accipienda invitati, plura poscunt: quae si non statim porriguntur, immoderate clamando, petulanterque calcitrando et lacrimando flagitant, invidisque parentibus extorquere conantur. Et quae mater tam dura, et ad omnem humanitatis sensum adeo obtusa sit, quin lacrymis mellituli filioli sui moveatur? Conceditur igitur: nihil fere denegatur. Sic fere filii (nam cum filiabus nihil mihi rei est) dulciariis, potionibus calidis, quae in ista aetate tenera, de verissima omnium Medicorum sententia, vires non corporis solum, sed animi etiam frangunt, semenque variorum morborum spargunt, calidis istis igitur potionibus, omninoque victui lautiori et delicatiori a primis inde annis adfecti et fere innutriti sensum, sensumque capiuntur taedio et fastidio victus frugalioris, omniumque omnino ciborum, qui magis sunt corpori alendo, sustentando et corroborando, quam palati titillando, suaviterque afficiendo. Hoc autem fervile ventriculi officium, hic insanus palatus titillandi morbus quid aliud sensum, sensumque parere potest, quam fastidium, taedium, fugamque laboris paullo durioris? Non enim facile potest res serias, difficiliores inprimis, tractare, qui jam a teneris inde annis isto molli, delicatoque victu vires cum animi, tum corporis fregit, gustumque rerum feriarum, earumque utilium et gravium isto obtorpescendo otio, isto dulci ventriculi servitio omnem perdidit. Hoc ignavum et turpe otium, in-

B

felic

Sensus

felix illa pravarum actionum mater (nihil enim agendo male agere discimus) ad quod pueri ipsi nimis proclives sunt, tantum abest ut a parentibus, uti debeat, veluti temulentiae sopor, excutiat, ut potius alatur, foveatur, et confirmetur, cum ita fere dictitant, tenellorum puerorum animos non esse ad laborem adigendos, neque vires ingenii et corporis praemature frangendas: expectandum esse tempus, quo ingenium, corpusque majorem duxerit maturitatem, ipsique natura' quodam studio ducti, et voluptate, res serias, et literas inprimis tractandi, invitati impellantur. Quam intemperativam Parentum indulgentiam, concessamque quidvis agendi lubidinem ubi filii cognoverunt (neque enim tam hebetis et obtusi ingenii sunt, quin cognoscant:) tum vero huic propensione suae ad ignaviam eo liberius indulgent, omnem laborem, in elementis literarum, et initiis inprimis doctrinae christianae, (sine cujus dote omnes literae humanae penitus frigent) rite h. e. cum intelligentia, firma animi persuasionem et sensu percipiendis, ponendum, fugiunt, et quavis ratione ab eo sese subtrahunt, ita, ut, hac consuetudine nihil, vel male agendi contracta, cum in scholam aliquam missi fuerint, ab ignavo otio ad laborem, ab obtorpescente desidia ad diligentiae assiduitatem, a nugulis agendis ad res serias difficillime revocari, perducique possint. Jam, quid de pudenda incuria et imprudentia quorundam Parentum dicam, qui liberis linguae effrenis, proterve jocandi, dicteria infusa, et verba praetextata efflutiendi licentiam concedunt? Concedunt vero? Immo risu, interdum etiam cachinno istam mellitulum filiorum licentiam approbant, et tantam ingenii venustatem in ista aetate admirantur. Jocatur puer infulse: festivus est. Male dicendo et calumniando alios perstringit: ingeniosus audit: verba praetextata lascive effundit: dicaculus et urbanus habetur: et haec omnia signa et praesagia haud fallacia ingenii vividi, ignei, et magna minantis existimantur. Haec proterve, impudenterque et dicendi, impedita et coercita, sed potius concessa, approbata, et blando veluti assensu confirmata, cum annis crescit, et sensim, sensimque in consuetudinem abit, ita, ut, nulla pietatis, honestatisque ratione habita, omnia et loqui, et agere sibi licere arbitrentur. *Adco q teneris consuescere multum est.* Commodè huc transtuleris, quae P. BYRMANNVS in laudata Oratione funebri in hanc rem dixit: *Credite, quotquot hic adestis, Patres, non mihi, sed omnis aevi sapien-*

sapientibus viris, sed ipsis proavis vestris, antiquae severitatis et sapientiae viris, non aliam hujus seculi infelicitatis, et bonorum virorum penuriae causam esse, quam perversam illam LICENTIAM et EDV-CATIONIS mollitiem, qua, dum puerorum tergis et corporibus metuimus, secure mentem corrumpi permittimus: dum stulta nos torquet sollicitudo, ne delicati nostri filii assiduo labore taedium et fastidium capiant: facile illos patimur deliciis et voluptatum illecebris infici et immergi. Haec ille, vere et sapienter! Sed quo majorem fidem, auctoritatemque addamus iis, quae diximus: age, excitemus hujus rei testem QVINCTILIANVM, magnum illum juventutis formandae, instituentemque magistrum, qui (Institut. Orat. I, 2.) in hanc rem ita: *Vtinam liberorum nostrorum mores non ipsi (Parentes) perderemus. Infantiam statim deliciis solvimus. Mollis illa educatio, quam INDVLGENTIAM vocamus, nervos omnes et mentis, et corporis frangit. Quid non adultus concupiscet, qui in purpuris repit? Nondum prima verba exprimit, et jam coccum intelligit, jam conchylium expetit. Ante PALATVM eorum, quam os instituimus. In lectis crescunt: si terram attigerint, e manibus utrimque susipientium pendent. Gaudemus, si quid LICENTIVS dixerint. Verba, ne Alexandrinis quidem permittenda deliciis, RISV et OSCVLO excipimus: nec mirum: nos docuimus: ex nobis audierunt. Nostras amicas, nostras concubinas vident: omne convivium obscenitatis canticis strepit: pudenda dicta spectantur. Fit ex his consuetudo, deinde natura. Discunt haec miseri ante, quam sciant vitia esse. Inde soluti et fluentes NON ACCIPIVNT e scholis mala, sed in SCHOLAS AFFERVNT. Sic igitur plerique fere pueri domi educati, sic instituti, his moribus adfugit, ubi annum decimum tertium, quartumve attigerint, e disciplina domestica emissi mittuntur inviti et reluctantes in scholam aliquam Provinciale[m] (his enim praecipue hic utimur.) Doctorumque institutioni, doctrinae, curae, fideique non tam dantur, quam, veluti carissima pignora, committuntur. Sed quales committuntur? Tales fere, qui neque naturali quadam in bonis literis aliquid proficiendi facultate praediti, neque honesta discendi cupiditate inflammati, neque ullius laboris paullo acerbioris patientes reperiuntur, ita, ut raro et non sine summa difficultate in schola aliqua publica corrigas, et ad frugem perducas meliorem, quod disciplina domestica depravatum est atque corruptum. Scilicet teneram*

adhuc arborem facile inflectas, et parvo cum labore quocumque velis tra-
has, atque inclines: ubi jam curva et prava facta fuerit, citius frangas,
quam corrigas. Optime sane domestica disciplina formati et instituti ad
curriculum vitae scholasticae feliciter decurrendum in scholam publicam
mittuntur ii pueri, qui secum afferunt ingenii docilitatem, acre discendi,
quae tradi solent, studium, laboris patientiam, morum honestatem, ob-
servantiam erga Praeceptores, promptum auctoritati legum scholasticarum
obsequendi animum, et inprimis, qui harum virtutum omnium unus
fons est, Religionis amorem. Hae autem virtutes et dotes quomodo
in eo puero reperiri, aut sperari possunt, qui a teneris inde annis vires
cum animi, tum corporis molli isto, delicato, et quodammodo effoe-
minato victu fregit, qui tempus ignavo otio, nugulisque agendis perdi-
dit, qui, licentia pro lubitu loquendi, et agendi concessa, pravarum lu-
bidinum, effrenarumque cupiditatum imperio obsequi, quam voci salu-
berriorum praeceptorum parere maluit, omnisque liberalioris discipli-
nae impatiens ex sui unius arbitrii lubricitate vivere tam diu solitus est?
Hinc non paucos pueros videas, qui in crassa rerum divinarum, bona-
rumque literarum ignorantia, in ingenii, morumque ruditate omnis la-
boris impatientes, taedioque, utilia et necessaria discendi, capti, et di-
sciplinae, quamvis liberalis, veluti frena mordentes, monitoribus asperi,
et suae pravae lubricitati potius, quam amantissimis Praeceptorum consiliis,
cohortationibusque obsequi soliti, ubi paucos quosdam annos inviti et
reluctantes in schola transegerunt, sive potius ignavo, turpique otio per-
diderunt, ante tempus definitum e schola, tanquam pistrino aliquo emissi
et emancipati in Academiam non tam abeunt, quam ovantes evolant,
pravis suis, immoderatisque lubricinibus paullo laxiora frena ibi permis-
suri. Hi sunt tristes isti fructus, qui ex delicata ista et molli educatione
in disciplinam scholasticam provenire solent. Haec sunt impedimenta,
quae magnis illis commodis, e renovata Constitutione scholasticae expec-
tandis, objiciuntur. Sed de hac re *) alibi pluribus disputavimus.

*Alteram causam calamitatis fundi nostri scholastici existimamus
ardorem discendi in dies magis, magisque refrigescentem. Quod malum*
ex

*) In Prolusione de magna vi neglectae disciplinae liberorum domesticae in
disciplinam scholasticam.

ex infelici isto fonte, *mollis et delicata educatione domestica*, promanare solet. Nam puer, qui, nimis blanda, et crudeli adeo parentum indulgentia suo ipsius arbitrio, suaeque lubricitati permixtus, carum tempus, initis capitum doctrinae christianae rite cognoscendis, elementisque literarum, linguarumque doctarum discendis, impendendum, nugulis, rebusque puerilibus, ludicris saepe inhonestis agendis, omne fere perdidit, nec ulli ordini certo in horis, per singulos dies ad res honestas utilesque adhibendis, adsueta est, is, igitur, disciplina domestica ad annum decimum tertium, aut quartum ita formatus et institutus, et missus in Scholam aliquam Electoralem, in qua Alumni diebus cum aestivis, tum hibernis ab hora inde quinta matutina usque ad occidentem solem continuo fere labore, paucis tantum horis ad honestam, necessariamque animi et corporis remissionem, recreationemque concessis, continentur, et in qua, de auctoritate legum nostrarum Scholasticarum disciplina paullo arctior obtinet, quomodo huic definito, nec facile interrumpendo ordini, suo quaeque tempore agendi, quae iuncta sunt, tot annos antea domi nulli rerum utilium tractandarum ordini adstrictus, omni que fere disciplinae liberalioris vinculis solutus, adsueta? Quomodo tempus, bonis literis necessario colendis, et ab initio non nisi cum ingrato aliquo labore discendis, impendere alacriter et studiose potest, domi antea cari temporis prodigus, nullique labori paullo molestiori perferendo adsueta? Quomodo ejusmodi puer prompto, paratoque animo et obsequio iis, qui praesunt, et saluberrima quaeque praecipunt, parere potest, qui olim apud parentes suos sui fere arbitrii fuit, et quidquid lubuerit, libere et impune fecit? Ejusmodi puer, in Scholam aliquam Provincialem missus, in alium fere Orbem translatus, et veluti in pistrinum quoddam detrusus sibi videtur. Domum paternam querulus quaerit: blandos parentes gemebundus desiderat: literas fastidit: admirabilem illum, nec satis unquam laudandum in ejusmodi Schola ordinem detestatur, quin Praeceptores adeo, quos ut parentes, fortunae quippe futurae ejus studiosos, colere, observare, amare, et diligere adeo debebat, tanquam capitales felicitatis suae hostes, contemptu, si non manifesto, tacito certe prosequi solet. Hinc ejusmodi pueris, domi ita educatis et institutis, atque in Scholam aliquam Provincialem in crassa inceptorum literarum ignorantia missis, duo plerumque anni ibi de sexennio definito pereunt, cum hoc tanto temporis spatio non sine assiduo, in

defesso, molestoque Praeceptorum labore vix demum inculcata fuerint, quae secum jam antea in scholam secum afferre debebant. Paucis annis post ubi ejusmodi puer non dignitate sua, sed quadam ordinis necessitate in *Classem secundam*, aut *primam* adeo transvectus fuerit, quamquam vix crassam ruditatem deposuit, eoque tandem pervenit, ut Praeceptoris diligentia assidua cum aliquo fructu, et voluptate etiam in ingenio ejus excolendo, perpoliandoque laborari possit: tum vero jam sapere, et esse aliquid sibi videtur. Itaque dies, noctesque somnia jactatam illam libertatem academicam, et, nidulo scholastico relicto, pennas, quamvis infirmas adhuc, in Academiam aliquam extendere gessit. Quid? quod bonas literas in scholis discendi studium vix dici potest quantopere reslinguat ignobile istud, inhonestum, et quodammodo sordidum literas colendi consilium, quod plerique fere adolescentes in hoc vitae instituto sequi solent. Scilicet plerique adolescentum, studiis literarum consecratorum, rationem in literis colendis instituunt ita, ut omnia non, nisi ad panem lucrandum, referant, et, quod huc non facere videatur, id omne ne delibandum quidem, ne dum imbibendum, sed penitus negligendum sibi, contemnendumque arbitrentur. Et quamquam iis saepius sapientissimum illud PLATONIS dictum injungitur, *omnium liberalium artium, doctrinarumque commune quoddam vinculum, colligationem, et veluti necessitudinem esse, nec ullam alterius ope adjutrice carere posse, sed aliam alterius veluti manu sustentari debere*: tamen ista omnia surdis auribus insulfurantur, animisque traduntur, e quibus aequo cito elapsa effunduntur, ac sunt infusa. Quanto melius sibi, fortunaeque suae futurae confulerent, si, quod olim consilium THEODOSIVS principi filio suo, HONORIO, dedit, id studiosissime sequerentur:

*Interea Musis, animus dum mollior, insta,
Et, quae mox imitere, legas: nec desinat unquam
Tecum Graja loqui, tecum Romana vetustas,*

ut apud CLAUDIANVM est I, 8, 390. sqq. Enimvero Serenissimi, iidemque sapientissimi Electores nostri in scholis Provincialibus aperientis, constituendis, immensi-que sumptibus sustentandis non hoc consilium secuti sunt, ut, quod vulgo, sed ridicule existimant, adolescentes *bonum tantum stilum scribere*, h. e. flosculos quosdam, phrasisque exquisitas scilicet! corradere, centonemque aliquem miserabilem consuere, aut
elumbes

*et ambes aliquot versus consarcinare, et miserabile adeo Exercitium graecum, ope SCHREVELII anxie implorata, facere discerent, quarum rerum discendarum in quavis Schola Triviali occasio et copia est: sed hoc, idque inprimis spectarunt, ut, praeter accuratam doctrinae christianae cognitionem, quae familiam in omni liberaliori educatione ducit (ducere certe debet: hac aetate autem nostra susque deque plerumque habetur, et in minimis ponitur) initia Logices, Mathematices, Rhetorices, Historiae, Geographiae, Antiquitatum, rituum veterum perciperent, et linguas doctas, maxime necessaria illa Veteres, omnis liberalioris doctrinae auctores, intelligendi adjumenta, discerent, facultatem aliquam rite interpretandi sibi compararent, et sonos verborum a rebus ipsis discernere discerent, uno verbo, ut severa lege, et via regia in literis proficerent, atque adeo luculentis literarum subsidiis instructi, ornatique ita in Academia venirent, ut Doctorum scholis cum fructu operam dare possent. Sed hac aetate nostra, ad mollitiem, ignaviamque nimis proclivi, Juventus breviori, et magis compendiaria via ad viri docti laudem grassari, leviorique labore defungi se posse credit. Scilicet plerique fere adolescententes, de sua corporis valetudine nimis solliciti, sive potius, quod res ipsa loquitur, ignavi otii dulcedine allecti, et veluti inestati, curiosissime cavent, ne nimio, ut somniant, discendi studio, animique contentione nimis acri tot, tamque variis rebus, quamvis utilibus, cognituque necessariis ingenii, corporisque vires ante tempus debilitentur, atque frangantur. Huic igitur magnifico consilio suo, optimo sane obtorpescentis ignaviae, desidiaequae patrono, satisfacturi ex iis quae in praelectionibus publicis traduntur, ea tantum delibanda sibi putant, quae *περὸς τὰ ἄλλα* facere videantur. Nam, qui studio theotogico sese aliquando consecrare volunt, quorum uti haud dubie in aliis, ita in hac nostra Illustri Schola perexiguus sane numerus est, cum e nonaginta, et quod excurrit, discipulis vix omnes omnino XX sint, qui, ergo, huic doctrinae nobilissimae sane et praestantissimae tempus suum, operamque praecipue aliquando dedicare volunt, ii fere haecenus sibi linguam latinam discendam putant, quatenus faciat ad intelligendum aliquod Systema Theologicum: graecam autem haecenus, ut *Novum suum Testamentum intelligere*, h. e. ope Lexici alicujus diobolaris verbotenus, seu pueriliter exponere, atque adeo *in Consistorio stare possint*: Ebraicam denique haecenus, ut hujus linguae literas cognoscere, et legendo balbutire quodammodo*

modo possint, hoc, inquam, si in scholis assecuti fuerint: tum vero magnam linguarum doctarum, futuro Theologo maxime necessariorum, facultatem consecuti sibi videntur. De interiori autem harum doctarum linguarum cognitione, de genuina earum indole, quem vulgo *Idiotismum* linguarum vocant, (quam recte, jam non disputo) de initiis praeflantissimarum doctrinarum, Mathematices et Logices, quae inprimis ingenio alendo, judicioque acuendo sunt, Rhetorices, Historiae cum sacrae, tum profanae, et aliis rebus, rite in scholis percipiendis parum solliciti sunt, rati, eas res omnes parum, aut nihil facere ad panem, quo omnem fere suam literarum colendarum rationem metiri solent, lucrandum. Ita cruda studia sua in Academiam, et aliquot mensibus post in crassa rerum divinarum, scripturaeque sacrae interpretandae ignorantia cum heroica quadam audacia, an impudentia dicam? in suggestum sacrum adeo propellunt, orationesque sacras, atque eas miserabiles, quamvis imperitis aniculis placeant, habent. His enim theologiae studiosis haec sacra non aliter constant. Qui autem aliquando magni Juris-Consulti, castique Justitiae sacerdotes fieri, et causis agendis communi Republicae utilitati consulere volunt, quorum hac aetate nostra in omnibus fere scholis maximus numerus est, sive sint ingrato et molesto rerum discendarum, futuro theologo necessariorum, labore deterriti, sive dulci spe honorum, quos JUSTINIANVM sui cultoribus dare sando cognoverunt, capti, sive dulcedine Praxeos aureae allecti, quam ea de causa sic dictam putant, quod ferat aureos nummos, quamquam facpe ego audivi, cum quidam ex hoc hominum genere, viri boni, et simplices, qui non aliud ore gererent, aliud pectore premerent, conquererentur, istam Novercam malignam saepe vix plumbeos ferre (quod mea nihil interest, sive aureos, sive plumbeos ferat, cum neque hos, neque illos unquam hac arte quaerere voluerim;) qui ergo, magni Jurisconsulti in spem, communemque patriae utilitatem, et ad castam Justitiam laesam defendendam exercecere volunt, ii fere jam in scholis suam literas colendi rationem instituunt ita, ut diligenter sibi caveant, ne quid aliud discant, quam quod faciat ad finem, uti dicunt, *propositum*, h. e. ad panem lucrandum. Itaque satis sibi in scholis didicisse videntur, si id assecuti sunt, ut terminum aliquem latinum intelligere, et ponere adeo discerent, alias res omnes, quamvis utiles, eique cognitu maxime necessarias, qui suo tempore viri docti nomen obtinere, doctrinaeque ampli-

amplitudine tueri velit, nihil curantes, omniumque rerum, a Doctores in praelectionibus publicis traditarum, *repetitionem*, quae jure *maior studiorum* et est, et habetur, susque deque habentes. Itaque ejusmodi librorum, literarumque helleones saepe videas in praelectionibus publicis, quibus, de auctoritate legum scholasticarum, interesse coguntur, assidere oscitantes, pandiculantes, interdum etiam in utramque aurem secure stertentes, aut auribus arrectis sinem horae anxie expectantes, quae ex Auditorio, veluti e carcere aliquo, dimissi proflire ovantes possint. Hic vero Lectores Humanissimos humanissime rogatos velim, ut ne credant, me in hac re exaggeranda inepte ingeniosum, et male loquacem esse, eamque elatorie proponendo omnem modum excessisse. Utinam res ipsa ista dicere me non coegisset! Utinam tristis experientia mihi invito ista expressa in calamum non dictasset! Caeterum ad intelligendum perquam facile est, quae nos hic in universum, et de omnibus omnino dixisse videamur, ea non nisi de magna horum Juvenum parte intelligenda esse, cum in hac etiam schola nostra Illustri Alumnii reperiantur, quos, uti probitatis et modestiae laus, ita assiduum literarum colendarum studium perquam amabiles, commendabilesque reddit. Sed *rari apparent nantes in gurgite vasto*. Adeo in plerisque fere praeclare quaeque discendi ardor refrigit! Hic vero mihi repetenda est memoria rei, huic loco perquam aptae et accommodatae. Anni ipsi XXXIII. sunt, cum ab Amplissimo Senatu Chemnicensi ad Correctoris munus ibi obeundum evocabar. Inveniebam non sine humanissima animi mei voluptate non solum permagnum adolescentum, studia aemulantium, numerum, (cum Classis I. et II. numerum centenarium complecteretur) sed ardorem etiam perquam laudabilem, ex omni fere doctrinarum genere cognoscendi et percipiendi, quae aptos eos, idoneosque reddere possent, ad Doctorem Scholas in Academia suo tempore cum fructu frequentandas. Cujus quidem studii et ardoris perquam honesti et laudabilis documentum luculentum habebam hoc, quod non contenti, statim praelectionibus publicis assidue, et cum animo discendi cupido quotidie interesse, me rogabant, ut quasdam horas privatas, didactro fati luculento oblato, domi meae sibi impenderem, quo facilius situm suam, cum graecae, latinaeque linguae facultatem probabilem sibi comparandi, tum aliarum rerum cognitu necessariorum cognitionem consequendi, reslinguere possent. Inter caetera rogabant, ut magno primae

XVIII

et secundae Classis discipulorum numero Historiam Romanam peculiari quadam hora, duce' EUTROPIO, enarrarem. Cognoverant enim, neminem in CICERONE, aliisque scriptoribus Romanarum rerum rite intelligendis facile versari, feliciterque progredi posse, nisi animum ad eam rem attulisset, aliqua Historiae Romanae, uno orationis veluti filo connexae et traditae, cognitione tinctum atque imbutum. Destinabam huic rei, cum alia non suppeteret, horam VII, vespertinam, et quidem mensibus auctumnalibus et hibernis. Magnus adolescentum numerus, honesta cupiditate discendi flagrantium, inter quos Illustris HEYNIUS, Academiae Gottingensis cum maxime decus atque ornamentum, et ingenii felicitate, et insatiabili discendi cupiditate, et celeritate in profectibus faciendis, eminebat, magnus, inquam, numerus adolescentum, arrecta discendi cupiditate incensorum, ad me confluebat. Et quamquam multi eorum domicilium, hospitiumque suum non in ipsa urbe, sed extra pomeria habebant: tamen hora vespertina septima (tempore minime opportuno et commodo) audita ad domicilium meum confluebant alacres, non retenti neque locorum intervallo, neque tenebrarum offendiculis, neque nivis, nimborum, ventorum, frigorisque incommodis atque molestiis. Quae a me perpetua et continua oratione tradebantur, ea et attento animo accipiebant, avidis auribus arripiebant, et, quae velox manus assequi scribendo poterat, excipiebant. Neque vero hic honestus discendi ardor ab initio, ut fere fit, fervebat, postea autem sensim, sensimque tepebat: sed quo diutius his praelectionibus intererant, eo magis, novis veluti nutrimentis indices subjectis, incensi inflamabantur, adeo ut his praelectionibus non prius finis imponeretur, quam tota Historia Romana ab ipsis Urbis initis usque ad Imperatorem AVGVSTVM uno veluti rerum filo colligata fuisset ducta. Haec vero erat dulcis docendi voluptas! et vel meminisse juvat, Quodsi in hac aetatis nostrae desidiose ignavia talem operam, atque eam gratuitam, et hora commodissima offerre quibusdam vellem; verendum haberem, ne mercedem aliquam vilem et obsoletam, nullosque adeo sui amatores inventuram, offerrem. Adeo tempora a triginta inde annis mutata sunt, et una cum iis juvenum literas in scholis colendi ratio!

Restat, ut *tertiam* causam indicemus, quam impedire existimus, quo minus fructus, e renovata Constitutione scholastica expectandi
et

et sperandi possint provenire. Hanc autem nullam aliam esse contendimus, quam *immaturum et nimis acceleratum Juvenum discessum e scholis*. De qua re etsi *) alio tempore paulo copiosius exposuimus: tamen, cum ipsius rei praesentis ratio postulare, sive potius exigere videatur, de ea iterum paucis disputandum putamus. Scilicet plerique puerorum, (ut paulo ante dictum est,) qui annum decimum tertium, quartumve egressi, institutioni disciplinaeque nostrae committuntur, tam rudes, uti a moribus, ita ab initiis literarum ad nos veniunt, ut unum, duove annos in imis subselliis haerere cogantur, discituri, quae, de utriusque Constitutionis scholasticae auctoritate, secum asserre eos oportuisset: ne dicamus de multorum naturali ingenii stupore, nullo labore, nullius artis machinulis facile expugnando. Omne omnino tempus quod Alumnis in Scholis Provincialibus, de auctoritate Electorali, transigendum est, VI. annorum spatio circumscriptum continetur: nimis profecto breve et arctum, pro multitudine quidem rerum, quae intra hoc tempus discendae Alumnis sunt injunctae. Nam, non solum requiritur, ut, laudabilem aliquam facultatem linguarum doctarum, latinae, graecae, ebraicae, et francogallicae etiam sibi comparent, sed initia etiam doctrinarum altiorum, Theologiae, Logices, Rhetorices, Mathematices, Historiae Catholicae, et, qui alter ejus oculus est, Geographiae, rite percipiant, et pectore imbibant fideli, ut ne harum rerum rudes in Academiam abeant; quid? quod probabilem aliquam latinæ et scribendi, et loquendi facultatem assequantur. Magnus sane harum rerum campus! quem qui in tam arcto temporis spatio emetiri discendo vult, eum profecto non pedetentim ire, sed citato gressu currere oportet. Et tamen plerique adolescentes in hujus aetatis nostrae delicata mollitie, ignavia obtorpescente, indomitaque liberioris vitae cupidine, jam emensi eum sibi videntur, si *quatuor*, ad summum *quinque* annos in aliqua Schola Provinciali sunt versati. Nam, ubi vix crassam ruditatem literarum deposuerunt, et magna cum molestia Magistrorum eo perducti sunt, ut cum suo ipsorum fructu, et Praeceptorum voluptate aliqua institui, iisque doctrinae copiosis instrui possent, quae Juveni, justo tempore in Academiam abituro, maxime necessariae sunt! tum vero jam sapere, et esse aliquid, si non Doctoribus suis, sibi tamen videntur, nihilque sibi

C 2

in

*) In Proluf. De festinato Juvenum discessu e scholis.

in schola tradi posse stulte somniant, quod e re sit, utilitateque sua. Scholam igitur pertaesi, inanisque de doctrina sua persuasionis fastu tumidi, et intempestiva, immoderataque libertatis Academicae cupiditate trahi dies, noctesque fere id unice mente agitant, ut, qua arte quam primum, disciplinae scholasticae veluti vinculis soluti, e schola dimitti, et pennis nondum firmis sustentati in Academiam evolare possint. Enixissime igitur, et precibus repetitis obtundunt patrem, ut sibi discessum e schola ante definitum sexennium exactum supplicibus precibus a superioribus impetret. Quodsi quis pater tam durus, et ad sensum importunarum, noxiarumque precum filii tam obtusus sit, (et cognovi, quosdam tales esse,) ecce! blandam matrem precibus adeunt, (et quae facile tam dura, tam crudelis sit, quin ardentissimis carissimi pignoris sui precibus moveri se, fleclique patitur, et quam primum filium suum *Strudiosum Academicum* conspiciere, appellarique cupiat) ut durum patris animum frangat, blandisque suis et potentibus illecebris captum eo perducat, ut ardentissimo, eique aequissimo filii desiderio satisfaciat. Expugnatur igitur fortis antea pater: veniam immaturi discessus e schola filio impetrat, eumque linguarum doctarum, doctrinarumque adhuc rudem spei certissimae de filii sui docti fortuna futura plenius in Academiam multis cum votis piis mittit, ubi doctus ille filius, studio Academico tribus ad summum annis confecto, (multi etiam duorum annorum spatio illud stadium coarctant) is factus est, quem facilis conjectura erat esse futurum. Hinc tot *Abortus scholastici*: hinc tot *Jearii Academici*: hinc tot Professorum in Academia querelae, justissimae sane de mira paucitate eorum Juvenum, qui iustis doctrinae adjunctis instructi in Academiam mittuntur. Hic vero admirari sane fas est nimiam quorundam Parentum facilitatem in ineptis filiorum precibus admittendis, qui, cum sciant, *Classem primam* eam esse, in qua praecipue Juvenes ad studia Academica praeparari, atque adeo in ea ad sexennium usque exactum versari debeant: tamen iis immaturum e schola discessum, quamquam saepe irrito conatu, impetrare student. Nam huic quidem malo scholastico, ne latius serperet, cautum est lege *) quaedam

*) Der Rector soll keinen Schüler vor Ablauf der gesetzten Sechs Jahre aus der Schule auf die Universität ziehen lassen; er sey denn darzu so tüchtig und in allen Stücken der Lehre so weit gekommen, daß er ohne Ver-

dam in Renovata Constitutione scholastica, qua C. 2. §. 15. Rectori injungitur hoc, *ut ne quem Alumnium ante definitum SEX annorum spatium decursum e schola in Academicam abire patiatur: nisi ita idoneus huic rei sit, et in omni doctrinae genere ita profecerit, ut sine suo ipsius damno diutius in ea versari non possit: quod si sit, abiturum ei non denegat: antea autem (Rector, non Parentes) de more recepto rem ad Summum Senatum Ecclesiasticum Dresdensem deferat.* Hac igitur lege, sapientissima sane, rationibusque juventuti, scholasticae saluberrima, immoderate illi, et effreni juvenum lubricitati qui, ut aves implumes nidum, rudes scholam relinquere gestiunt, frenum est injectum: quamquam, ut fit, haec lex interdum aequae, ac *Lex Julia*, dormire solet.

Et has quidem causas in praecipuis ponendas puto, quae impediunt, quo minus illa commoda, quae e renovata Constitutione scholastica sapientissima, et ex assidua fidelium Doctorum institutione expectari, et in utilitatem Reipublicae literariae redundare possint, et quare hac aetate nostra non tot Juvenes aequae bene praeparati, literisque tam probe instructi, ut olim, in Academiis veniant. I nunc! his causis cognitis, et quaere: *quid causae sit, quod hac aetate nostra non tot aequae bene praeparati, literisque tam probe instructi Juvenes in Academiis veniant?* Ratio est in promptu. Perpauci enim adolescentum in scholis, hac molli, et ad ignaviam proclivi aetate nostra, severa in literis proficere, viaque regia, ut olim, progredi volunt.

Et haec quidem animo simplici, aperto, nulli obnoxio, salutisque rei scholasticae amantissimo, studiosissimoque disputare visum est in hac Prolusione, quae omnium ultima esto. Nam in hac aetate mea, quae jam ad senectutem vergit, et in tot laboribus scholasticis, continuis illis, et veluti concatenatis, iisque non semper jucundis, quibus plus, quam quis credat, distringor, quibusque ingenii, animi, corporisque vires sensim, sensimque debilitatae languescere incipiunt, indies magis, magisque a scribendo alienus reddor, ita, ut nihil eorum, quae in Litteris meis si non confecta, profligata certe habeo, unquam sit, sine

C 3

Versäumniß seiner selbst nicht länger da bleiben könne: in welchem Falle er ihm den Abschied nicht versagen, aber zuvor an das Oberconsistorium gewöhnlicher maßen Bericht erstatten soll.

ullo quidem reipublicæ literariæ desiderio, aut damno, in lucem, ad speculumque proditurum. Et hoc consilium tam infixum animo haeret, ut nullamquam res ab eo me sit dimotura, nisi forte a ΤΟΥΡΙΟ, Viro Celebrerrimo, atque eo graece doctissimo, provocatus, lacessitusque fuero, quem audiui, mihi minari libellum, haud dubie *σηλητευτικόν*, contra *Vindicias* meas quorundam locorum N. T. ab ipso temere sollicitatorum, quem securus expecto. Scribant alii, quibus major ingenii, corporisque vigor, et plus otii est. Neque sane verendum est, ne hac aetate nostra, quae tantum scripturientium proventum tulit, ut cum s *L O M O N E* dicendum sit, *Libros faciendi nullus finis est*, prela typographica otiosa quiescant. Tot enim libri, formulis stanneis exscripti, quotidie fere prodeunt, ut quosdam, sacrosancam Religionem inprimis attingentes, aeternis oblivionis tenebris pressos contineri praefaret, in quorum infelicem censum istud abominabile et detestandum monstrum atque portentum (quod haud ita pridem veluti infaustum, pestiferumque rei christianae sidus apparuit) nullis unquam victimis, licet concurrant omnes augures et haruspices, procurandum et expiandum, et non tam ad speculum cognoscendum, quam ad breves Gyaras usque quam primum exportandum, ad fundamenta quippe Religionis christianae subruenda, subrutaque plane evertenda spectans, et non sine iustissimo omnium bonorum animi dolore, multorumque imperitorum et male credulorum damno pestifero typis exscriptum, est referendum.

Sed nunc indicandum est consilium, quo ad hanc Prolusionem scribendam animum appulerimus. Scilicet producendi sunt IV. Juvenes, et ab honestatis gratia, et a diligentiae laude commendabiles, qui in memoria diei Illustris Moldani nostri Natalis pie recolenda qualiscunque suae in dicendo facultatis specimina edent. Sylvulam Orationum sumimus e recenti adhuc, et immenso illo, nullisque laudum encomiis per omnem vitam unquam satis praedicando, beneficio divino, dulcissima nempe pace, praeter omnem spem, expectationemque hominum cum Germaniae in universon, tum Saxoniae nostrae inprimis concessa. Et a qua re laetiori, ad gratique animi sensum quotidie acuendum efficaciori dicendi materiam petamus? quam ab alma pace, divinitus nuper nobis redita, cujus dulcissima memoria adhuc recens est. Procedent igitur dicturi:

I.) IOA-

I.) IOACHIMVS BERNHARDVS NICOLAVS
HACKER,

WITTEMBERGA-SAXO,

*De pace nobis divinitus reddita, non uno die solemni, sed singulis diebus
per omnem vitam grata, piaque mente recolenda.*

II.) GOTTLOB IMMANVEL LINGKIVS,

TORGAVIENSIS-SAXO,

*De magnitudine beneficii divini, pace nuper restituta nobis
tributi.*

III.) CAROLVS GODOFREDVS PETERMANNVS,

LIPSIENSIS,

*De dulcedine pacis, carendo magis, quam fruendo sentiri
solita.*

IV.) GEORGIUS LVDOVICVS TRAVGOTT
BARTHOLDVS,

ROEKNITIO-MISNICVS,

*De pacis, divinitus nobis redditae, commodis, in totam Germaniam
redundantibus.*

Ad quos benevole audiendos ut hora IX. finitis sacris, conveniant,
qui bonis literis, scholaeque nostrae adeo favent, quam humanissime ro-
gamus. P. P. in Illustri Moldano Ipfis Calend. Septembr. A. R. S.
1719 CCLXXIX.



181 1/4 181
K 2
von

I) JOACHIMVS BERNHARDVS NICOLAIVS
HACER

WITTEBERGVS. 1780.

De part nobis hinc inde reddita, non sine de fobur. Sed fobur hinc
per domum hinc gaudet, quodam modo reddita.

II) GOTTFRIEDVS MANFREDVS FICHTERVS

TORGAVENSIS. 1780.

De negotiis hinc inde reddita, non sine de fobur hinc
per domum hinc gaudet, quodam modo reddita.

III) CAROLVS GODOFRIDVS PETERMANNVS

LIPPENSIS.

De hinc inde reddita, non sine de fobur hinc
per domum hinc gaudet, quodam modo reddita.

IV) GEORGIVS LAVONIVS TRAVCOTT
BARTHOLOMIVS

ROTHENFELSIS. 1780.

De part nobis hinc inde reddita, non sine de fobur hinc
per domum hinc gaudet, quodam modo reddita.

Ad part nobis hinc inde reddita, non sine de fobur hinc
per domum hinc gaudet, quodam modo reddita.



m. 10



VD 18


ULB Halle

3

002 387 816







Al. 228 16.

Vh
181

QVAESTIO
PVBLICE NVPER POSITA
SOLVTA

Quid causae sit, quod hac aetate nostra non tot Iuvenes bene praeparati, literisque tam probe instructi in Academijs, ut olim, veniant? (in specie e scholis provincial. Saxon. ubi saepe plura ad Histor. Scholar. provincial. Saxonicae. occurrunt.

PROLVVSIO
DECLAMATIONIBVS IV.

IN
ILLVSTRI SCHOLA GRIMANA
A. D. XIV. SEPTEMBR.
IPSO DIE SCHOLAE NOSTRAE NATALI

HOR. IX. HABENDIS
PRAEMISSA
A
IOANNE TOBIA KREBSIO

RECTORE.

LIPSI AE
EXCVDEBAT FRID. GOTTH. IACOBER ET FIL.
MDCCLXXIX.

BIBLIOTHECA
PUNTOLENSIS

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)

k. 228.

cat. 4,73

